

1.º Non oportet multiplicare principia sine necessitate: atqui vel solo lumine gloriae, vel saltem immediate concurrente divina essentia tamquam objecto actu intelligibili, potest determinari intellectus ad visionem Dei; ergo non concurret aliqua ad Deum videndum species. *Min.* patet. Nam divina essentia est summe intelligibilis et intime praesens intellectui.

2.º Deus per intuitivam visionem vult se immediate tradere possidendum tamquam objectum beatificans. Atqui beatitudo pendet ab objecto tum ut terminante, tum ut influente: ergo sicut divina essentia non terminat visionem per speciem objectivam, ita neque influit in illam per speciem determinantem.

119. *Objic.* Hisce rationibus excludi videtur etiam lumen gloriae a Dei visione: ergo nimis probant.

*Resp. Dist. ant.* Prout lumen gloriae se habet ex parte potentiae, excludi videtur; nego *antec.* Tamquam objective determinans; concedo, vel subdist. Si munus istud determinandi objective fuerit a lumine gloriae separabile; *conc.* Si autem fuerit intrinsecum illi; nego. Cum enim dari lumen gloriae, et quidem connaturaliter, certo constet; rationes istae, quibus ostendimus, probabilius non concurrere speciem impressam ad Deum videndum, solvi possent, si vis ac munus speciei foret lumini gloriae intrinsece connexum; ut facile patebit rationes ipsas expendendo.

### THESIS XVIII.

Visio Dei est quidditativa ac intuitiva, ejusdem speciei in omnibus beatis, licet inaequalis perfectionis.

120. I.ª Pars clare deducitur ex praecedentibus. Quidditativa enim cognitio ea est, qua res per essentiam cognoscitur. Atqui Deus ita videtur, ut ejus «essentia immediate ac nude, clare et aperte ostendatur.» (supra, *Thes.* XVII), et videtur *sicuti est*: ergo visio Dei est quidditativa.

Quod sit etiam visio intuitiva patet: non enim potest videri Dei essentia, quin ipsius videatur existentia, cum sit suum *esse* per essentiam; neque ipsa potest immediate videri existentia, quin ut praesens videatur; tum quia illud intueri dicimus, cujus existentiam immediate videmus, ut solem; tum quia Deus a nulla re distat, ideoque si videtur, et praesens videtur.

121. II.ª Pars est certa et inter theologos communis.

1.º Visio beatifica est gratiae terminus et complementum. Sed gratia est ejusdem naturae in Angelis et hominibus; «confiten-

»dum, ait Augustinus (1), non ad solos sanctos homines pertinere, verum etiam de sanctis Angelis posse dici, quod charitas »Dei diffusa sit in eis per Spiritum Sanctum qui datus eis; nec tantum hominum, sed primitus praecipueque Angelorum bonum »esse, quod scriptum est: *michi autem adhaerere Deo bonum est.* Hoc »bonum, quibus commune est, habent, et cum illo...»

2.º Ipse Augustinus (2) ait: «Nobis beata sine fine vita promissa est, et aequalitas Angelorum.» Sed non foret aequalitas in beatitudine, si visio beatifica specie differret: ergo ejusdem est speciei.

3.º Si aliqua esset specifica differentia in visione beatifica, ex eo procederet quod intellectus Angelorum est diversae speciei: atqui hoc non sufficit; ergo ejusdem est speciei in omnibus beatis. *Prob. min.* Diversae naturae non sufficiunt ad actus specie diversos inducendos, si non procedant ab illis quatenus diversae sunt, sed quatenus in aliqua ratione conveniunt: sic actus sentiendi ejusdem sunt speciei in hominibus et brutis animantibus. Sed visio non procedit ab intellectu hominum et Angelorum nisi quoad id in quo conveniunt, nempe, secundum virtutem obedientialem: ergo non sufficit naturae differentia, ut... etc.

4.º Visio Dei in omnibus beatis est de eodem objecto, et sub eadem ratione; scilicet, terminatur ad Deum prout in se est, immediate. Ergo nulla diversitatis specifica ratio existit.

122. III.ª Pars prob., quae de fide est adversus Jovinianum et Lutheranos.

1.º *Conc. Florent.* in *Decreto Unionis*: «Definimus... intueri »(animas beatas) clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, »pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius.» Quod confirmat Trident. (Ses. VI, can 32).

2.º Ait Christus Dominus: *In domo Patris mei mansiones multae sunt* (3). Quod sane Patres non de multitudine salvandorum, sed de praemiorum varietate intelligunt cum Hieronymo (4): «Paratae sunt in coelo diversae et plurimae mansiones, plurimis diversisque virtutibus.» Et iterum (5). «*Multae mansiones apud Patrem,* »quia et merita diversa. *Stella differt a stella in claritate...* In singulis diversa sunt lumina, et tamen in suo unaquaque perfecta »est, ita dumtaxat, ut comparatione majoris, perfectione careat.» Ambrosius, in illud: *Unusquisque in suo ordine*, ait: «Erit igitur »ordo diversus claritatis et gloriae, sicut erit ordo meritorum (6).»

(1) *De Civit. Dei*; l. 12, c. 9. — (2) *De Corrept. et Grat.* c. 10. — (3) Joán. XIV, 2. — (4) *Adv. Jovin.* l. 2, n. 28. — (5) *Dial. adv. Pelagianos*, n. 16. — (6) *L. De Bono mortis*; c. 11.

3.º Lumini gloriae perfectiori respondere debet perfectior visio; sed non est in omnibus aequalis perfectionis lumen; ergo neque visio. *Min.* prob. Lumen gloriae est terminus et complementum gratiae: sed gratia est inaequalis pro ratione meritorum, ut ex tract. *de Gratia* supponimus; ergo et lumen gloriae inaequale existit.

123. Objic. 1.º Cognitio quidditativa, si clara existat, exigit totam rei essentiam et usque ad ultimam cognoscere ejusdem proprietatem: sed haec videtur adaequata rei comprehensio; ergo visio Dei nequit esse quidditativa.

Resp. dist. *maj.* Totam rei essentiam exigit dignoscere formaliter inspectam: conc. *Eminenter*; nego. Similiter minorem distinguas.

Objic. 2.º Christus in parabola (1) docet: idem dandum praemium, licet merita fuerint inaequalia. Sed praemium est Dei visio; ergo aequalis erit perfectionis apud omnes beatos.

Resp. Dist. *maj.* Licet merita sint inaequalia materialiter; conc. Etiam si sint inaequalia formaliter; nego.

Ad mentem Judaeorum putantium se praeferebunt aliis, quia prius vocati erant, legemque Mosaycam per plura saecula excoluerant, respondet sensus et intelligentia parabola.

#### THESIS XIX.

Videntes divinam essentiam vident omnia Dei attributa, omnesque simul divinas Personas.

124. I.ª Pars prob., quae est communis Theologorum sententia, adversus Ferrariensem (2) et nonnullos alios.

1.º Non potest Deus videri ut in se est, nisi omnia attributa videantur: atqui *Videbimus Eum sicuti est* (3); *Tunc cognoscam sicut et cognitus sum* (4): ergo videntur simul omnia attributa.

2.º Si posset Dei essentia videri aliquo non viso attributo, et possibile esset eandem videre absque nullo attributo: sed hoc repugnat; ergo et primum. *Min.* patet; quia Deus est suum esse per essentiam.

3.º Deus est actus purus et infinitus per essentiam: ergo videns essentiam et necessario videbit omnem ejus perfectionem, seu omnia attributa.

II.ª Pars probr. et est de fide.

1.º Ex Florent. in Decr. Union. «Animas... intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est,» docente.

(1) Matth. XX, 1-16. — (2) *Contr. Gent.* l. 3. c. 56. — (3) 1. Jo. III, 2. — (4) 1. Cor. XIII, 12.

2.º Id vident beati quod crediderunt: sed fides habetur in Deum unum et trinum; ergo vident Personas. *Maj.* elucet ex Apostolo (1): *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem.* Ut enim commentatur Chrysostomus; «Fides et spes cum advenerint bona, quae credita et sperata fuerunt, cessabunt (2).»

3.º Essentia est idem cum personis, et ex intrinseca foecunditate illius procedunt: atqui connaturale est ut re aliqua visa ac ejusdem foecunditate, videatur quidquid cum eadem re identificatur et ab illa procedit: ergo et divinae videntur Personae.

125. Objic. 1.º Attributa Dei sunt infinita. Atqui intellectus finitus nequit videre infinita: ergo videntes divinam essentiam non videbunt omnia ejus attributa.

Resp. 1.º Nego *maj.* Nam re ipsa quaecumque possumus nos distinguere attributa sunt in Deo unus et simplicissimus actus.

Resp. 2.º Dist. *min.* Nequit videre infinita, ut plura sunt et per plures actus; transeat *min.* Ut unum sunt et per unum simplicem actum; nego *minorem.*

Objic. 2.º Essentia divina communicatur personis, non vero perfectio relativa, licet haec cum illa identificetur: ergo a pari, videri poterit natura haud visis relationibus. Ita Scotus.

Resp. Nego consequentiam et paritatem. Ad communicationem enim non sufficit identitas vel intrinseca connexio, si intercedat aliqua oppositio mutua: intuitio autem rei sicut in se est, omnem ejus identitatem et conjunctionem eo ipso refert.

#### THESIS XX.

Videntes Deum non ideo divinae voluntatis libera consilia necessario vident: possunt tamen eadem, Deo id volente, videre.

126. I.ª Pars prob. quae tamquam certa habenda. 1.º Angeli diem judicii ignorant: *De die autem illa et hora nemo scit, neque Angeli coelorum, nisi solus Pater* (3).

Angelus Persarum Angelo populi Dei, deprecando apud Deum, resistebat, ne captivorum populus dimitteretur (4), ut Hieronymus commentatur. Sed si Dei cognovisset consilia Angelus, non sane iisdem fuisset reluctatus; ergo aliqua saltem ignorant. Confr. Ps. 23. vv. 8 et 9.

2.º Ambrosius (5) ait: «Mysterium Dei Patris et Domini

(1) Cor. XIII, 12. — (2) Hom. 34, in 1. ad Cor. — (3) Matth. XXIV, 36. — (4) Dan. X, 13. — (5) *De Fide*, l. 4, c. 1.

»N. Jesu Christi... nec Angeli cognoscere nisi ex revelatione potuerunt.» Ne quis autem putet Incarnationem Angelos agnovisse a principio beatae visionis, id inferius Sanctus excludit: «Erant tamen adhuc et in coelestibus, qui stuperent, qui admirarentur novam pompam, et ideo requirebant; *quis est iste Rex gloriae?* Quia »et Angeli processus habent scientiae et capacitatem profectus.»

Dionysius Areop. ait: «Hoc igitur Theologi perspicue declarant, ut inferiores coelestium essentiarum ordines a superioribus divinorum operum scientiam percipiant,» (1): idque ex Davido ps. 23, vv. 8, 9, confirmat.

Damascenus Angelos, etiam bonos, futura ignorare tradit (2).

3.º Divinae voluntatis libera consilia non habent necessariam cum Dei essentia connexionem; ergo potest Deus videri, liberis simul latentibus divinis consiliis.

127. II. Pars. prob. quae est communis inter Theologos.

1.º Augustinus (3) id docet: «Angeli in Deo veritatem incommutabilem vident, et secundum eam suas dirigunt voluntates. Fiunt ergo illi participes aeternitatis, veritatis, voluntatis ejus semper.» Et alibi (4): «Vident (Angeli) faciem tuam semper, »et ibi legunt sine syllabis temporum, quid velit voluntas tua.»

Confirmat S. Bernardus (5): «Patent (beatis) viscera misericordiae, patent cogitationes pacis, divitiae salutis, mysteria bonae voluntatis, benignitas arcana, quae clausa mortalibus, etiam ipsis »electis suspecta fuit.»

2.º Si libera Dei consilia videre beati non possent, id procederet vel quia sunt in se invisibilia, vel quia nequit Deus ea beatis videntia praebere: sed neutrum dici potest. Non sane primum; quia Deus ipse sua libera consilia aperte intuetur: neque secundum; id enim oriri deberet ex intelligibilitatis excessu, quatenus soli menti divinae esset congrua: atqui repugnat intelligibilitatem ullam excedere divinae essentiae intelligibilem puritatem; ergo possunt beati divina intueri consilia.

128. Objic. 1.º Actus liberi Dei nihil in eo ponunt ab ejus essentia distinctum: ergo videns divinam essentiam et illos necessario intuetur.

Resp. Dist. *ant.* Ab ejus essentia distinctum *actualiter* nihil ponunt; conc. *ant.* Distinctum *virtualiter*; nego *ant.*

Ad *consequens* dicendum: videns divinam essentiam necessario videt quidquid illa est *actu*, non vero quidquid ei *virtualiter* accedit.

(1) De coeles. Hier. c. 7.—(2) De fide orthodoxa, l. 2, c. 4.—(3) De Genes. l. 8, c. 24.—(4) Confess. l. 13, c. 15.—(5) L. 5 de Consider. c. 4.

Objic. 2.º Objecto eodem existente, repugnat nunc tali modo videri, nunc alio. Sed per liberos actus non aliter se habet divina essentia: ergo nequeunt illi videri.

Resp. Dist. *maj.* Eodem existente actualiter et virtualiter; conc. *maj.* Actualiter tantum; nego *maj.*

Ad *min.* Non aliter se habet actu; conc. *min.* Virtute; nego.

Aliter tamen Deus suos liberos videt actus, quam beati eosdem vident. Quod paucis facile intelligetur.

Cum enim divini intellectus actus sit simpliciter infinitus, quavis posita terminatione libera in Dei voluntate, eam necessario divina mens intuetur. Lumen autem gloriae, beato concessum, est finitum, ideoque talem definitam perfectionem non supergreditur: oportet ergo quod perfectius lumen et distinctam visionem suscipiat beatus, ut in Deo divina consilia videat, quae secus minime intueretur. Distinctam, inquam, visionem, non specie, sed numerice sub eadem specie diversam.

Vide Suarezium fusius rem evolventem (1).

#### THESIS XXI.

Per eandem visionem, qua Deum beati vident, possunt et creaturas aliquas in eo videre, juxta visionis perfectionem.

129. Notandum, Licet oratione seu modo loquendi Auctores fere consentiant dicentes, beatos in Verbo videre creaturas; tamen ratione, seu quoad sensum, eos pugnare compertum est. Ut ergo ambiguitas quaevis devitetur, non intelligimus videri in divina essentia creaturas *pure causaliter*; quatenus scilicet physice vel moraliter inducat visio Dei aliam creaturarum visionem: neque *pure concomitanter*; quia, nempe, eodem actu quo Deus videtur, videantur quoque creaturae: neque *pure correlative*, quasi extrema alicujus relationis; sicut qui videt Patrem videt et Filium, ac viceversa: sed intendimus creaturas in Verbo cognosci tamquam in medio et ratione cognoscendi; sicut in causa et principio, si sufficienter perscrutentur, videtur necessaria aliqua consequentia, effectus et conclusio.

130. Probr. 1.º Augustinus saepe docet (2), longe perfectiorem esse cognitionem creaturarum, qua in Verbo, quam illam, qua in se ipsis cognoscuntur; illam vocat matutinam, hanc autem vespertinam. «Cognitio quippe creaturae in se ipsa decoloratio est, »ut ita dicam, quam cum in Dei Sapientia cognoscitur, velut in ar-

(1) De Deo, l. 2, c. 24.—(2) De Civit. Dei, l. 11, c. 7 et 29; et aliis in locis.

»te qua facta est.» Neque putes intelligendum Augustinum de cognitione *esse eminentis*, quod creaturae in Deo habent: nam *esse* illud eminens non distinguitur a Deo; ideoque nequeunt creaturae per illud proprie cognosci et ad invicem distingui, prout supponit S. Doctor: «Mens angelica pura charitate inhaerens Verbo Dei, »posteaquam illo ordine creata est, ut praecederet cetera, prius ea »vidit in Verbo Dei facienda, quam facta sunt: ac sic prius in ejus »fiebant cognitione, cum Deus dicebat ut fierent, quam in sua propria natura: quae itidem facta in eis ipsis etiam cognovit, minore »utique notitia, quae vespere dicta est. Quam notitiam sane praecedebant, quae fiebant; quia praecedit cognitionem quidquid cognosci potest.» Deinde ait S. Doctor, quod cum videret angelica natura lucem in Verbo, factum est mane; et videndo lucem in se ipsa, vespere; et dies unus: item videndo firmamentum in Verbo, fuit mane; et cum vidit in se ipso, vespere; et inde dies alter. «Ac »sic usque ad omnium operum finem et usque ad requiem... (1).»

Atqui haec omnia nullatenus convenire possunt creaturis cognitionis secundum esse quod *eminenter* habent in Deo; nam hoc esse eminens nec est aliquid *faciendum*, neque fit cum Deus dicebat *fiat*, neque aliquam habet distinctionem et pluralitatem ut secundum eam multiplicari possint et numerari dies septem: ergo videntur creaturae in Deo secundum proprium formale et distinctum esse.

S. Bernardus (2) ait etiam: «Neque opus habet (beatus) ex »his, quae facta sunt, factoris notitiam mendicare. Nec enim ut vel »ipsa noverit, ad ipsa descendit, quae ibi videt, ubi longe melius »sunt quam in se ipsis.»

S. Thomas aperte hanc tradit doctrinam, et quidem saepe. Vide I. p. q. 12. a. 8. «Sic videntur omnia in Deo, sicut effectus in »sua causa.» Et ad 3<sup>m</sup>, ibid. «Multitudo cognitorum in Deo consequitur modum videndi ipsum vel magis perfectum, vel minus »perfectum.»

Conc. Senon. Cap. 13. *decret fidei*. «Beatis pervium est illud »divinitatis speculum, in quo quidquid eorum intersit illucescit.»

2.° Deus cognoscit in se creaturas: sed sui cognitionem intuitivam potest communicare; ergo et possunt beati. *Maj.* prob. a) Dionysius Ar. dicit (3): «Divina mens, ex se et in se, secundum causam, rerum omnium scientiam praehabet et ante comprehendit... Seipsam igitur divina sapientia noscens, sciet omnia.» b) Deinde; intuendo effectum potest aliquatenus agnosci causa; ag-

(1) *De Genes.* ad litt. I. 4, c. 32. — (2) *De Consider.* I. 5, c. 1. — (3) *De div. nom.* c. 7.

noscendo essentiam et ejus proprietates dignosci possunt, et conclusiones in principiis: ergo a fortiori potest Deus in se et per se omnia cognoscere, cum ab ejus sapientia et potentia et essentia procedere debeant.

131. Objic. 1.° Divina essentia est res absoluta: sed ut in ea cognoscerentur creaturae, deberet relationem ad illas habere; ergo.

Resp. Nego *min.* Non enim ducit relatio ad cognitionem terminorum; sed, e contra, ad relationem agnoscendam praecognoscendi sunt termini. Falso igitur laborat supposito haec difficultas. Est quaedam dimanationis vel dependentiae connexio inter essentiam divinam et res creatas vel creabiles, quae antecedit quamvis inter illam et istas relationem: eminens igitur illa continentia creaturarum, propter quam vel in esse possibili, vel in esse actuali, ab illa manant et dependent, est ratio cognoscibilitatis illarum; non vero relatio aliqua, quae non nisi positus terminis exurgere potest.

Objic. 2.° Deus non videt in se creaturas ut in causa: ergo neque beati eo modo videre eas queunt. *Maj.* prob. Deus est causa rerum per suam scientiam; ergo ratio causae nequit esse ratio visionis, seu scientiae creaturarum, ne idem sit ratio vel causa sui ipsius.

Resp. 1.° Permitto utrumque *antecedens*, et nego utramque *consequentiam*. Nam beati vident, vel videre possunt, scientiam Dei; licet ergo esset Deus causa per suam scientiam, possent in illo, ut in causa, beati creaturas videre. Deinde Dei scientia est simplicissima, ideoque essentialiter reflexa videns simul se ipsam et objecta: unde licet causaret Deus per ipsam scientiam, tamen in illa, seu in se, ut in causa videret Deus creaturas.

Resp. 2.° Nego primum *antecedens* et disting. secundum: Deus est causa per suam scientiam, *ut dirigentem* voluntatis et potentiae operationes; conc. Ut *constituentem* potentiam operandi vel *exequentem* opus; nego. Haec est D. Thomae doctrina contra plures Thomistas (1). Laborat ergo falso supposito difficultas; non enim per scientiam, sed per omnipotentiam habet Deus formalem causalitatem, seu efficiendi virtutem.

Objic. 3.° Idea seu Verbum Dei est ipsum esse simplicissimum et infinitum ipsius, ideoque nullam prae se fert creaturarum formalem similitudinem, seu imaginem. Sed ut in Verbo Dei viderentur creaturae in se et distinctae, deberet in illo esse formalis earum similitudo; ergo non possunt creaturae in Deo videri.

Resp. Dist. *min.* Ut viderentur in Verbo tamquam in imagine; conc. *min.* Tamquam in medio connexionis; nego *min.*

Inst. 1.° Creaturae sunt quaedam Dei imitatio et similitudo: ergo

(1) P. I, q. 19, a. 4, ad 4.<sup>m</sup>